



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. De simplicitate opposita astutiæ: amatur, docetur, à Deo &c. Ex Veteri. Ex Novo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

rent, præterrediuntur; ac suo itinere pergunt, anhelantes ad optatum via terminum. Sic sapiens, sciens se peregrinum in terra, civem verò coeli, & domesticum Dei; omnesq; injurias, probra, & adversa, prætergreditur; dissimulat, non curat; quasi ad se non pertinerent; divitiq; *ego tanquam surdus non audiebam* &c. Psalm. 37. 14. Cornelius hic.

Percussit Phasur Jeremiam Prophetam, & misit eum in nervum. Jerem. 20. 2. Advertenda Prophetæ patientia; quòd missus in carcerem tacet, & silentiò vincit injuriam. S. Hieron.

Ponet in pulvere os suum. Thren. 3. 29. Quod ait, juxta aliam interpretationem, dabit in sepultura os suum, vel in fossura; ostendit patientiæ taciturnitatem, ut, tanquam sepultus, non loquatur: imò quòdam virtutum aggere obstruat vocem; nè doloris emitat querimoniam: ut vocem ipsam velut quòdam bustò, ac tumultò, sepiat, atque includat; quam nulla extorquere, nullaq; excitare possit injuria. S. Paschasius hic. Theodoretus hic: *ponet in pulvere os suum*, hoc est, in terra. Tacebit scilicet, & animò generosò feret convitia, & probra; perinde, ac si haberet os plenum terrâ. S. Ambros. in Psalm. 118. Oñon. 10. in litera Jod legit: *dabit in sepulcrum os suum*. Non quòcunq; pulvere patiens oppilabit os suum; sed terrâ sepulchri, se exultans Mundo mortuum, & tumultatum, cum audit convitia. A mortuis accipit silentiù, & patientiæ documentum. Arcones in li. 2. 4. Disc. 2.

Fleus suspexit ad cælum. Dan. 13. 35. S. Ambros. offic. 1. c. 3. est magnum, & negotiosum, silentium; ut erat Susanna: quæ plus egit tacendo, quàm si esset locuta. Tacendo enim apud homines, locuta est Deo: nec ullum majus indicium suæ castitatis invenit, quàm silentium. Conscientia loquebatur, ubi vox non audiebatur: nec quærebat pro se hominum judicium, quæ habebat Domini testimonium.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Beati mites. Math. 5. 4. Est mutitas corporis ex defectu naturæ; nec non ex vo-

luntate se mutum aliquis facit; cum sectatur sacra silentia ex amore virtutis; Spiritu DEI actus, intendit, & vacat, sanctæ taciturnitati. Sic est & mutitas in similitudinem mutitatis; quæ se homo mutum facit; non habens ad opprobria, & ad convitia, & ad qualibet maledicta, redargutionem, aut repunctionem. Sim. Cassi l. 10. hic.

Utique homicida est homo hic. Act. 28. 4. Audiebat Paulus calumniam; tacet tamen: quia, ut ait S. Gregor. hom. 18. in Evang. gloriosius est, injuriam tacendo fugere, quàm respondendo superare. Sylveira hic.

Contumeliam iratus intulit; vince, & amove silentiò malum. Certè, si despexeris, acrius illum vindicas. S. Basilius hom. de ira.

Fatigetur improbitas patientiæ meæ; plus improbum illum cædis sustinendo. Tertull. de pat. c. 8.

Nihil minùs virile, nihil muliebrius est; quàm robur in lingua habere. S. Chrysof. hom. 31. in Acta Apost. Convitiatus est quispiam? vituperavit? Tu claude os tuum: si enim illud aperueris, concitabis magis ventum hunc. Non vides in ædibus, quando è regione, & directè duæ januæ oppositæ sunt, & flatus vehemens irruerit; si alteram clauderis, & respiratio prohibita fuerit; quomodo nihil valeat efficere flatus; sed plurimum de robore illius præcidatur. Ità & hic. Duæ sunt januæ: os tuum, & os illius, qui te vituperat, & probro afficit. Si tuum occluseris, & spirationem non dederis; omnem flatum istum extinguas: si verò aperueris, effrænis reddetur. S. Chrysof. hom. 10. in c. 5. ad Thessalonic.

Si quis te reprehendit propter rem aliquam, quam fecisti, vel non fecisti; si taces, JESU te similem præbes. B. Isaias Abb. or. 8.

In spiritali prælio; cum inimicus periclitus irâ; plenas convitiis, & maledictis, vociferationes profundit, tempus est silentii: silendo vinctus. S. Diadochus l. de perfect. c. 10.

Ciconia Symbolum eorum, qui multa patiuntur. Hæc enim avis serpentes devorat, & illis pascitur; sed linguam non habet. Tuffo in Eccl. 1. 29.

TITULUS XXIV.

SIMPLICITAS.

§. I.

De Simplicitate oppositâ astutiæ, amatur, docetur à Deo &c.

Ex Veteri.

*E*gressaque omnis multitudo filiorum Israel de conspectu Moysi, obtulerunt mente promptissimâ, atque devotâ, primitias Domino &c. Ex. 35. 20. Postea Principes obtulerunt lapides onychinos &c. ibid. Nota, humilis plebs, & celeritate, & vo-

luntate, suos principes ad religionem anteivit, prius enim obtulit, & mente promptissimâ, ac devotâ; quod in principum oblatione non exprimitur. Mendoza in 1. Reg. 6. 5.

Quem videns asina junxit se parieti, & attrivit sedentis pedem. Num. 22. 25. Non vates Balaam, sed asina, angelum Dei videt. Cœlestia & divina, non dedignantur rudes, & simplices: dedignantur profanos sapientes; quibus amiora sunt, & chariora mundalia, & dæmoniacâ, Baeza t. 3. l. 14. c. 2. §. 9.

Quis

ia con-
nem,
quòd,
ndum
mmo-
l. i.
i non
gi gu-
sare,
Dei:
cum
72. 5.

ostis,
quòd
atio-
fc. de

unt.
s ab
cir-
pen-
nan-
esia:
llis.
elo-
gnæ
tus.

Me-
ad-
en-
in
in
or;
de
um
vi-
uit.
no-
na-
gi;
n,
ur.

ni-
n-
lis
n.
n-
e-

od
as
ui
si-
ex
o-
e,
9.
r.
ui

Quis dabit mihi pennas, sicut columbae? & volabo. Pl. 54. 7. Cur non potius aquilæ? cum hæc multò altius, & velocius, quam columba volet? Columba typus est simplicitatis: *estote simplices sicut columbae*, ad volandum in altum, non pennas aquilæ, id est, superborum, petit; sed columbæ, humilium, simplicitum. Sylveira in Matth. 16.

Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani. Pl. 103. 16. S. August. hic: satiata sunt prius ligna campi; prius humiles satiati sunt; deinde etiam cedri Libani, sed quas plantavit ipse.

Stellio manibus nititur, & moratur in adibus regis. Prov. 30. 28. Cur tam alta occupat stellio pennis orbatus; quando plures aves in dumetis nidificant? S. Gregor. mor. l. 6. c. 7. plerumque aves, quas ad volatum penna sublevat, in vepribus resident: & stellio, qui ad volandum pennas non habet, nitens manibus ædificium regis tenet. Quia nimirum sæpe ingeniosi in pravis actionibus remanent: & simplices, quos ingenii penna non adjuvat, ad obtinenda mœnia virtus operationis levat. Stellio igitur, dum manibus nititur, in regis adibus moratur: quia illo simplex per intelligentiam recti operis pervenit, quò ingeniosus minimè ascendit.

Oculi tui columbarum. Cant. 4. 1. Cur oculos columbinos laudat? si perspicaciam celebrat, cur aquilæ non comparat? quia ad ipsum contemplandum, & mysteria ejus cognoscenda, non prævalet acies aquilæ, sed simplicitas columbæ. Sylveira in Joan. 7.

Ex Novo.

Et procidenter. Matth. 2. 11. Flebant genua Mundi sapientes ante puerum parvulum; ut omnis Mundi sapientia ante Christi simplicitatem incurvetur. Sim Cast. l. 1. c. 15.

Et circumbat JESUS totam Galileam. Matth. 4. 23. Perambulat oppidula, & vicos: quia in his locis major necessitas cœlestis doctrinæ; quam in civitatibus, ubi sunt multi Doctores. Sylveira hic. q. 1.

Cum autem descendisset de monte, secuta sunt eum turba multa. Matth. 8. 1. Nota cum S. Chrysol. hom. 26. Euthymio, &c. quòd turba sequatur; quæ erat erga Christum devota; non autem principes, scribæ & Pharisei. Nam hi, suâ falsâ scientiâ inflati veram, & solidam, Christi sapientiam spernebant. Sylveira hic.

Quem dicunt homines esse Filium hominis? Matth. 16. 13. Theophylactus: non interrogat, quem me dicunt Pharisei? sed homines? de simplici multitudine dicens. Luc. 9. 18. scribit: *quem me dicunt esse turba?* Interrogat de simplicibus: hi enim valde apti ad divina mysteria ediscenda. Sylveira hic. q. 3.

Tu es Christus Filius Dei vivi. Matth. 16. 16. Quò tendunt longissimæ studiorum noctes? quò tanta frequentia populi, & sapientiæ lumina? quando rudis Piscator, sapien-

tibus oculator, abstrusa divinitatis dogmata manifestè insinuat. Bæza t. 3. l. 14. c. 2. §. 9.

Omnis turba veniebat ad eum. Marci 2. 13. Dum omnem turbam ad eum venisse scribit, qui illum sequebantur; non Scribas, aut Phariseos, extitisse insinuat; sed homines simplices; omnisque fuci, & astutiæ, expertes; nec non sanò, incorruptoque, judicio præditos. Victor Antioch, hic.

Et pastores erant in regione. Luc. 2. 8. Tres pastores erant; sicut & Magi tres, ut Beda habet lib. de locis sanctis c. 8. Cur ad tantum mysterium non proceres, vel regiò sanguine nati; sed viles homines, assumuntur? quia pastores sunt homines simplices sinè dolò; quique veritatem fucare non solent; & ideò valde apti ad fidem eis dandam. Prov. 3. 32. cum simplicibus sermocinatio ejus. Sylveira hic. Non mediocre fidei tibi hoc videatur exemplum, quòd vilis sit persona pastorum. Certè quò vilior ad prudentiam, eò pretiosior ad fidem. Non gymnasia, choris referta sapientum; sed plebem Dominus simplicem requisivit; quæ phalerare audita, & fucare, nesciret. S. Ambros. l. 2. in Luc. Ob id quoque, præ cæteris, pastoribus his beneficium hoc obigit: quia præ cæteris simplices erant, dolique expertes. Titus Bostrensis.

Beatus venter, qui te portavit. Luc. 11. 27. Illa doctrina Christi, quæ præcessit, non in malevolis scribis, & Phariseis; sed in una simplici, & devota, muliere fructum edidit. Clamat de turba: mulier enim plebeja erat. Sylveira hic.

§. II.

De simplicitate oppositâ duplicitati, & simulationi.

Ex Veteri.

Cur præcepit vobis Deus? Gen. 3. 1. Cur dæmon, cum callidè cupiebat Evam vincere, non in columbæ mansuetæ specie, sed in colubri formidabilis, paravit insidias? illam citius, & libentius, quam colubrum auscultaret. Hugo à S. Vict. venit ad hominem in serpente callidus hostis: qui, si permixtus fuisset, in forma columbæ venire maluisset. Sed hoc vas sibi Spiritus S. reservavit: quia profectò dignum non erat, ut Spiritus malignus illam formam homini odiosam faceret; in qua postmodum eidem Spiritus S. apparere debuisset. de Castillo Illat. 115.

Abominaciones Ægyptiorum immolabimus Domino. Ex. 8. 26. Oves quippe Ægyptii dedignantur edere: quòd autem abominantur Ægyptii, hoc nos offerimus: quia conscientia simplicitatem, quam sapientes hujus Mundi fatuitatem putant; hanc justi Domino in sacrificium immolant. V. Beda hic.

Oculi tui columbarum. Cant. 1. 14. Sponsæ decorem sponsus maxime ab oculis dilaudat; quòd eos habeat non vulpino, non lupino, non vulturino, id est, non obliquos, non fraudulentos, & simulatos, non invidios, & rapaces, spectantes ad prædam; sed columbinos, id est,